UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Iohannis Scheffleri S. R. Eccl. Presbyteri Concilium Tridentinvm antè Tridentinum

Angelus <Silesius>

Nissæ, 1675

Articulus Septimus. In SS. Eucharistiæ Sacramento Corpus & Sangvine[m] Christi substantialiter præsentia esse, panémq[ue] ac vinum converti in Corpus & Sangvinem Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42264

Visual Library

offerri, per Prophetam Domin⁹ loquitur, Corpus videlicet & Sangvis Chriſti.

## Articulus Septimus.

In SS. Euchariſtiæ Sacramento Corpus & Sangvinē Chriſti ſubſtantialiter præſentia eſſe, panémq; ac vinum converti in Corpus & Sangvinem Chriſti.

Verba Concilij,

*In Sanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sangvinem unà cum animâ & divinitate Domini noſtri* JESV *Chriſti: fieriq́ conversionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ*

*vini in ſangvinem, quam converſionem Catholica Eccleſia Transſubſtantiationem appellat.*

L*iturg: S. Petri Apoſt:* Domine Deus noſter, qui obtuliſti te ipſum per mundi vitam, reſpice in nos & ſuper panem hunc & calicem hunc, & fac ipſum immaculatum tuum Corpus, & preciosum Sangvinem, in perceptionem animarum & corporum.

*Liturg. S. Jacobi Maj. Apoſt.* Ut superveniens ſancta & bona & glorioſa ſua præſentia, ſanctificet & efficiat hunc panem Corpus ſanctum Chriſti tui, & calicem hunc pretioſum Sangvinẽ Chriſti tui.

*Liturg. S. Iacobi Minor. Apoſtoli.* Guſtate & videte quod benignus eſt Dominus, qui in partes di-

ſtributus ac non diviſus, & fidelibus impertitus, nec conſumpt⁹ eſt, &c. *Item*: Ut ſuperveniens (Spiritus ſanctus) ſanctâ & bonâ & gloriosâ ſuâ præſentiâ, ſanctificet & efficiat hunc panem corpus ſanctum Chriſti tui &c. & calicem hunc pretioſum ſangvinem Chriſti tui.

*Liturgia S. Matth. Apoſt.* Tu es panis vitæ deſcendens de cœlo, qui antequam venires, eras in figura Agni immaculati pro redemptione mundi: nunc bonitatem tuam, ô Amator hominũ, humiliter imploram⁹, ut faciem tuam ſuper hunc panem & calicem in hoc altari portatile, oſtendas. Benedic, ſanctifica, munda, & transfer panem hunc in Carnem tuam immaculatam,

& vinum hoc in ſangvinem tuum precioſum. Fiat Sacrificium ardens & acceptabile. &c.

*S. Ignatius Martyr Sancti Ioanuis Evangeliſtæ diſcipulus, Ep ad Smyrnens. citante Theodoret. dialect. 3.* Euchariſtias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur Evchariſtiam eſſe carnem Salvatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam pater ſuâ benignitate ſuſcitavit.

*S. Teleſphorus Papa Epiſt. ad univerſos*: ipſi (Epiſcopi) qui proprio ore corpus Domini conficiunt, ab omnibus ſunt audiendi.

*S. Pius I. Papa.* Severas pœnitentias imponit ſacerdotibus, ſi per negligentiā aliquid de ſangvine Domini ſtillaverit in terram ſicut videre eſt in ipſius decretis. *T. 1. Concil.*

*S. Iuſtinus Martyr, apologia 2da ad Antonin. Imperator.* Non ut communem panem, neq; communem potum iſta ſumimus: ſed quemadmodũ per verbum DEI caro factus IESUS Chriſtus Salvator noſter, & carnẽ & ſangvinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ad eundem modum etiã eam, in qua per preces verbi ejus ab ipſo profecti gratiæ ſunt factæ alimoniam, unde ſangvis & caro noſtra permutationem aluntur, incarnati illius IESU carnem & ſangvinem eſſe edocti ſumus.

*Tertulianus l. 4. contr. Marcionem c. 40.* Acceptum panem corpus ſuum illum fecit: hoc eſt corpus meum dicendo. Et nunc ſãgvinem ſuum in vino conſecravit (conſecrando effecit: explicat

ipſe Drejerus Lutheranus) qui tunc vinum in ſangvinem figuravit.

*Origenes l. 8. contr. Celſum.* Nos qui rerum omnium conditori placere ſtudemus, cum precibus & gratiarum, pro beneficijs acceptis actione, oblatos panes edimus, corpus jam per precationem factum, Sanctum quoddam & ſanctificans, utentes eo cum ſano propoſito.

*Concil. Nicæn. Piſani. l. 3.* In divina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollẽtes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè â ſacerdotibus immolatum.

*S. Cyprianus Serm. de Cœna Domini.*

*mini.* Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed naturâ mutatus, omni potentiâ verbi factus & caro. Et pòſt: uſq; hodiè hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat & benedicit, & piè ſumentibus dividit.

*S. Gregorius Nyſſenus catecheticâ c. 37.* Rectè ergo nunc quoq; Dei verbo ſanctificatum panem in Dei verbi corpus credo tranſmutari.

*Id. Orat. de ſanct. Baptiſm.* Panis, item panis eſt initio communis: ſed ubi eum ſacrificaverit myſterium, Corpus Chriſti dicitur & eſt. Eodem modo vinum.

*S. Cyrillus Hierosolymitan. in catecheſ. primâ myſtagogicâ.* Panis & vinum Eucharistiæ, panis erat

& vinum merum, peracta vero invocatione, panis quidem fit corpus Chriſti, vinum autem Sangvis Chriſti.

*Idem Cyrill. Catech.* 4. Cum Chriſtus ipſe ſic affirmet atq; dicat de pane, hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoq; confirmante & dicente, hic eſt Sangvis meus, quis, inquam, dubitet, & dicat eſſe illius ſangvinem? aquã aliquando mutavit in vinum, quod eſt ſangvini propinquum, in Chana Galilææ: & non erit dignus cui credamus, quod vinum in ſangvinem tranſmutâſſet? Si enim ad nuptias corporeas invitatus, ſtupendum miraculum operatus eſt: & non multò magis corpus & ſangvinem ſuum,

filijs Sponſi dediſſe illlum confitebimur? Quare omni cũ certitudine corpus & ſangvinem Chriſti ſumamus: Nam ſub ſpecie panis datur tibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſangvis.

*Idem ibid.* Hoc ſciens & pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur à nobis non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti. Et vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtûs vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſangvinẽ eſſe Chriſti.

*Iræneus lib. 4. c. 34.* Quomodo conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſangvinis ejus, ſi non ipſum fabricatoris Mundi Filium dicant. Quomo-

 do eur-

do rurſus dicunt carnem in corruptionem devenire & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſangvine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt, offerimus enim ei, quæ ſunt ejus congruenter comunicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritûs. Quemadmodum enim, qui eſt à terra panis percipiens invocationem DEI, jam non comunis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duab9 rebus conſtant, terrenâ & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia, offerimus autem ei, non quaſi indigenti, &c.

*Idem lib, 5. c, 2,* Eum calicem, qui

qui eſt creatura ſuum ſangvinem qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſangvinẽ: & eum panem qui eſt à creaturâ, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum DEI, fit Euchariſtia ſangvinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & cõſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia: quomodo carnem negant capacem eſſe donationis DEI, qui eſt vita æterna, quæ ſangvine & corpore Chriſti nutritur, & membrum ejus? Quemadmodum lignum vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram, & diſſolutum, multiplex ſurgit per ſpiritũ DEI, qui continet omnia, quæ dein-

de per ſapientiam in uſum hominibus veniunt, & percipientia verbum Dei, Euchariſtia fiant, quod eſt corpus & ſangvis Chriſti: ſic & noſtra corpora ex eâ nutrita & repoſita in terram & reſoluta in ea, reſurgent in ſuo tempore verbo Dei reſurrectionem eis donante.

*S. Chryſoſt. homil. 83. in Matth.* Cedamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiãſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit: ſuperet & ſenſum, & rationem noſtram quaſo ipſius: quod in omnibus & præcipuè in myſterijs faciamus, non illa quæ ante nos jacēt ſolummodò aſpicientes, ſed verba quoque ejus tenentes. Nam verbis ejus defraudari non poſſu-

mus,

mus, ſenſus verò noſter deceptui facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpiùs atque ſæpiùs fatetur. Quoniã ergo ille dixit: Hoc eſt Corpus meum, nullâ teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectûs id perſpiciamus.

*Idem ibid.* Non ſunt humanæ virtutis hæc opera, quæ tunc in illa Cœna confecit: ipſe nunc quoque operatur, ipſe perficit: miniſtrorum nos ordinem tenemus: qui verò hæc ſanctificat & transmutat ipſe eſt.

*Idem homil: 24. in 1. Corint.* ad illa verba: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sangvinis Chriſti eſt:* Eorũ verborum hujus modi eſt ſententia: Quod eſt in calice, eſt id quod

à late-

à latere fluxit, & illius ſum9 participes. Et ad illa, *Panem quem frangimus:* Quare addit, quem frangimus? hoc in Euchariſtia videre licet, in cruce autem minimè, ſed omninò contrà. Os enim ejus, inquit, non conteretur. Sed quod in cruce paſſus non eſt, & in oblatione patitur, & propter te frangi ſuſtinet, ut omnes ſatiet. Et ad illa, *qnoniam unus panis & unum corpus multi ſumus:* Quidnã eſt panis? Corpus Chriſti. Quid autem fiunt qui accipiunt Corpus Chriſti? non multa, ſed unum corpus.

*Idẽ homil: de prodit. Iudæ.* Et nunc ille præſtò eſt Chriſt9, qui illã ornavit menſam, ipſe iſtam quoque conſecrat. Non enim homo eſt, qui propoſita de conſecra-

ſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit & ſanguinẽ, ſed ille, qui crucifixus pro nobis eſt Chriſtus: Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute conſecrantur & gratiâ. Hoc eſt, ait, Corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur. Et ſicut illa vox quæ dicit: creſcite & multiplicamini, & replete terram, ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationem operante naturâ; ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas Eccleſiæ uſque ad hodiernam diem, & uſque ad ejus adventum præſtat Sacrificio firmitatem.

*S. Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis cap. 4.* Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum: ubi acceſſe-

ceſſerit conſecratio, de Pane fit Caro Chriſti. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cujus ſermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, Laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris, ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramẽtum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc cõficit Sacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nempe is, quo facta ſunt omnia. Juſſit Dominus, & factum eſt cœlum. Juſſit Dominus, & facta eſt terra. Juſſit Dominus, & facta ſunt maria. Juſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti! Si

ergo

ergo tanta vis eſt in ſermone Domini JEsu, ut inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur. Non erat Corpus Chriſti ante cõſecrationem: ſed poſt conſecrationem dico tibi, quod jam Corpus eſt Chriſti. *Et iterum*, didiciſti quod ex pane corpus fiat Chriſti, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, ſed fit ſangvis conſecratione verbi cœleſtis. *Et cap. 5.* Antequam conſecretur panis eſt, ubi autẽ verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aqvæ plenus. ubi verba Chriſti operata fuerint. ibi ſangvis efficitur. qui plebem redemit. *Idem lib. de intindis c. 9.*

Quantis utimur exẽplis ut probemus, non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit, majoremq; vim eſſe benedictionis quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur. Et poſtquã multis exemplis probâſſet benedictione facta fuiſſe ingentia miracula inquit: Quod ſi tantum valuit humana benedictio ut mãnam coverteret, quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur, quod ſi tantùm valuit ſermo Heliæ ut ignem de cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? de totius mundi

operibus legiſti! quia ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſũt, in id mutare quod non erat? ipſe clamat Dominus Iesus, hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem Corpus Chriſti ſignificatur, ipſe dicit Sangvinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem Sangvis nuncupatur. Et tu dicis Amen.

*Optatus Millevitanus lib. 6. contra Parmenian.* Quid eſt altare niſi ſedes corporis & ſangvinis Chriſti? Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic percepta mo-

menta-

menta corpus & ſangvis habitabat? Hoc tamen immane facin9 geminatum eſt, dum fregiſtis etiam calices, Chriſti ſangvinis portatores.

*Hilarius Pictavienſ. l. 8. d. Trinit. ante med.* De veritate carnis & ſangvinis non relictus eſt ambigendi locus: nunc enim & ipſius Dñi profeſſione & fide noſtrâ verè caro eſt, & verè ſangvis eſt. Et hæc accepta atq; hauſta efficiunt, ut & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit.

*S. Gaudentius Tractat. 2do. de Exaudi.* Ipſe naturarum Creator & Dominus, qui producit de terra panem, de pane rurſus, (quia & poteſt & promiſit) efficit proprium corpus. Et qui de aqua vinum fecit, & de vino ſangvinem

nem ſuum. Neq; crudam carnẽ crudúmq; ſangvinem, ſicut Judæus, eſſe putes, & reſpuas dicens, quomodo poteſt iſte dare carnem ſuam manducare, ut per ignẽ divini Spiritûs id effectum quod annunciatum eſt credas: quia quod accipis corpus eſt illius panis cœleſtis, & ſangvis eſt illius ſacræ vitis. Nam cùm panem conſecratum & vinum Diſcipulis ſuis porrigeret ſic ajt: hoc eſt corpus meum: hic eſt ſangvis meus, credamus quæſo cui credimus, neſcit mendacium veritas &c.

*S. Hieronymus Epiſt. 150. ad Hebdibiam quæſt. 2.* Nos autem audiamus, panem quem fregit Dominus dedítq; Diſciqulis ſuis eſſe corpus Domini Salvatoris.

*Idem in Epiſt. Pauli ad Tit.* Tantùm intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantùm inter umbram & corpora, inter imaginem & veritatem, &c.

*Theodoretus dialog. 2.* Symbola Domici corporis & ſangvinis alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocatioem verò mutantur & alia fiunt.

*Damaſcenus l. 4. de Orth. fid. c. 14.* Tuquoq; nunc quæris, quomodo panis Corpus Chriſti & vinum cum aqua conjunctum Sangvis Chriſti fiat? tibi etiam reſpondeo, Spiritus Sanctus ſupervenit, eáq; efficit, quæ orationis facultatem & mentis intelligentiam excedunt. Sanè corpus Divinitati verè unitum, eſt illud illud corpus, quod ex ſancta Vir-

ćta Virgine ortum eſt: om̃e quod aſſumptum illud corpus è cœlo deſcenderit, ſed quia panis ipſe & vinum in Corpus & Sangvinem DEI immutantur. Quod quo pacto id fiat requiris, ſat tibi ſit audire, per quod Sanctus Spiritus idẽ faciat, quemadmodum & ex Sancta DEI Matre per Spiritum Sanctum Dominus ſibi & in ſe ipſo carnem condidit. Quin ne hoc quoq; alienum fuerit dare quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus & Sangvinem immutantur, corpúsq; alterum fiunt, atq; à priore diverſum: ſic propoſitionis panis ac vinum & aqua, per ſancti Spiritûs invocationem & ad-

ventum mirabili modò in Chri-ſti corpus & ſangvinem vertun-tur, nec ſunt duo, ſed unum & idem.

*Damaſcenꝰ lib. 4. de fid. cap. 14.* Non eſt figura panis & vinum corporis & ſangvinis CHRISTI (abſit enim hoc): ſed eſſe ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicente: hoc eſt meum (nō figura corporis) ſed corpus: & non figura ſangvinis, ſed ſan-gvis.

*In Ep ad Zacch Doaror. Epiſc:* Hoc dilectioni tuæ ſignificamus, Chriſti corpora nos dicere non poſſe, ſed unum eſſe ipſius cor-pus. Et ſicut infans ex muliere natus perfectus eſt, edens autem & bibens augeſcit naturali facul-tate; & licet augeſcat, non duo

tamen

tamen efficiuntur corpora, ſed unum eſſe: multò magis Sacramentum Spirit. Si panis & vinum inſuper augmentationem corporis Chriſti, unū fit corpus, & non duo. Jacet panis in ſacra menſa tanquam in utero Virginis, Spiritus ſanctus ſupervenit, quemadmodū dixit Angelus virgini: Sic etiam in menſa, Spirit9 ſanctus ſupervenit, & fit Corpus Chriſti. Deinde per manus Sacerdotis elevatur, velut in cruce, in vobis ſepelitur, & perficitur œconomia: Incorruptos enim unà nos reddit. Et quoad uſque à nobis ſumitur, corruptioni ſubjectum illud dicimus. Quomodo enim ſi corrūpi nequit frangitur & comeditur? Poſt ſumptionem autē incorruptibile eſt,

 ad con-

ad conſtitutionem & ſubſtantiã animæ noſtræ, migrans incorruptibile ad noſtram incorruptibilitatem.

*Et homil. de Corpore & Sangvine Christi.* Oportebat etiã in Dominici Corporis accretione animo contemplari omnem divinam œconomiam ipſius Incarnationis, Crucifixionis, Sepulturæ, Reſurrectionis, & citra corruptionem conſervationis. Non enim ſtatim initio Domini Corpus incorruptibile factum eſſe, ſed quod pati & corrũpi poſſet, uſque ad Reſurrectionem.

*Et in antecedentib.* Cujus rei ergo non poſt reſurrectioné illud fecit, ſed ante reſurrectionem? Quia corpus, quod per reſurrectionem exiſtit incorruptibile, non

non frangitur, neque editur, neque bibitur. Hoc igitur quod participamus Corpus & Sangvis Dei noſtri corrumpi poteſt uti confractum, effuſum, eſum & potum: ac in morem accretionis noſtri corporis, omnem implet naturalem diſpenſationem Incarnationem Verbi Dei.

## *Articulus Octavus.*

## Communione ſub una ſpecie integrum Chriſtum ſumi.

### Verba Concilij.

*Fateor etiam, ſub altera tantùm ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verúmque Sacramentum ſumi.*

S*anct.* *Jgnatius Epiſt: ad Epheſ.* Eruditi à Paracleto, obedien-